

emori: Nec verò tunc animum esse insipientem, cum ex insipientij corpore euassisset, sed cum omni admixtione corporis liberatus purus & integer esse cœpisset, tunc esse sapientem. Hæc ad contextum de Regiis verbis elicui. Opinio quidem immortalitatis animæ, non solum vt vera, sed vt studio quoque virtutis amicissima, piè ac tenaciter amplectenda est: hæc enim sublata, omnis profectò mortalium ardor refrigescet, quo ad honesta succedamur. Quis enim demta spe præmij mortis, tot humanæ vitæ pericula tantosque labores perferet? Quis se à voluptatibus arcebit, aut impetus animi frenare volet? qua ira aut libido vocauerit, sequetur quisq;: ita totus hic pulcherrimus atque optimus rationis ordo turbabitur, interque marcidum ocium, & effrenatam rabiem, sine salutis respectu fluctuabit humanum genus. Duo igitur in Rege miror: Et quod dogma tam verum tamque salutiferum, cæterum in illa ætate, vix dum principibus cognitum Philosophis, tam constanter affirmat, & quod in ipsa morte faciat. Neutrum enim sine magna quadam sapientia, & singulare contigisse arbitror.

P. J.